

omnino sit reiectus & rejectus: status enim ejusmodi nunquam est nec fuit, nemo etenim nascitur nisi sit obligatus. *videtis D. Titium & illius Observationes Libro Puffendorffii de homine & cive subjunctas Observ. 452. & Observ. 453. addatur Becmannus ad Grotium I, II, I, I. p. 104. seq.* Neminem præterea siue generatum siue creatum sine obligatione & dependentia concipere possumus. Potestate enim Creatoris, & auspicante hocce Numine Parentes omnes intensis viribus simile sibi aliquid produxerunt, ut eorum, quæ sudore & labore acquisiverunt, ex asse esset hæres, hinc vero statim introducta est obligatio, ut Creatoris primus homo, geniti vero patrium Jus aliquod admitterent, & agnoscerent; imo originem semper venerarentur, quousque siquidem Capita Generationis, Nutritionis & Tutelæ obtinuerunt, eoque directorium, potestas patria, quin Dominium ipsum nec attenuari nec deleri poterit, id quod egregio testimonio excipit D. D. TITIUS *Observ. 503.*

§. XXI.

Cum RIVETO igitur Exercitatione X. m. I. Caput Geneseos, quibus & Augustinum & Gregorium Magnum accenset, concludo. *Contra nec paucis nec infirmis rationibus probari potest, futuram inter homines aliquam inæqualitatem, & quorundam hominum in alios Imperium.* Quod quidem (1) Ex Capite Generationis, (2) Ex differentia sexus, (3) Ex disparitate ætatum, (4) Ex familiarum subortarum consimili statu, (5) Ex Angelorum Prærogativa his tamen criteriis boni ordinis & Imperii non destituta, (6) Tandem ex socialitate strictim adeo confirmavit, explicuit & simul absolvit, ut potestatem, talem libertati

tati